

**De rheumatismo articulorum acuto maximeque ejus therapia : dissertatio  
inauguralis medica ... / scripsit Maximilianus Hugo Eduardus Meyerhoff.**

**Contributors**

Meyerhoff, Maximilian Hugo Eduard, 1843-  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Gustavus Schade, 1867.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/h4z26tmp>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





C  
9

DE  
**RHEUMATISMO ARTICULORUM ACUTO  
MAXIMEQUE EJUS THERAPIA.**

---

**DISSERTATIO**

INAUGURALIS MEDICA

QUAM


PROPTER SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

DIE VII. M. JUNII A. MDCCCLXVI RITE ACCEPTOS

SCRIPSIT

**MAXIMILIANUS HUGO EDUARDUS MEYERHOFF**  
BEROLINENSIS.



BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

MDCCCLXVII.

OR OR HISTORICAL HISTORY

JULIAH AND KIRKLAND

CHAPMAN

CHARLES WHITING DAVIS

1855

BOSTON UNION

WILLIAM ALMIGHTY THE ANGEL

CHARLES WHITING DAVIS

1855

THE WISDOM OF THE EGYPTIANS

CHARLES WHITING DAVIS

CHARLES WHITING DAVIS



## DE RHEUMATISMO ARTICULORUM ACUTO MAXIMEQUE EJUS THERAPIA.

---

**S**ummo jure, puto, in morbis quam maxime metuendis rheumatismus articulorum acutus numeratur, non quod per se vitam in periculum deducere possit, namque talis morbi exitus potius perrarus est<sup>1)</sup>, sed ob frequentissimas, quae eum comitantur, complicationes cum morbis cordis, nimirum cum pericarditide et endocarditide, quarum sequelae vitae aegrotorum mirum quantum damnosae sunt.

Quod ad spatium hujus morbi geographicum spectat, eum super totum orbem terrarum diffusum invenimus<sup>2)</sup>. Collatis ceteris formis rheumaticis exploratum habemus, rheumarthrosin acutam praecipue intra temperatos latitudinis gradus et in regionibus tropicis polaribusque relative rarius reperiri, attamen formae in climatibus calidioribus et aestuosis obviae videntur maligniores esse.

---

<sup>1)</sup> Vogel auctor est, secundum tabulas mortuales Londinenses de anno 1816 inter 20316 mortuos tantum 14 rheumatismo articulorum acuto periisse.

<sup>2)</sup> Plura reperies apud Hirsch: Handbuch der historisch-geographischen Pathologie. I. 591. sqq.

Fuerunt quidem, qui multiplum rheumatismum articulorum acutum in regionibus polaribus deesse contenderent, sed ii tabulis statisticis a Schleissner compositis refelluntur, qui in Islandia inter omnes morientes fere  $\frac{1}{2}\%$  rheumarthrosi acuta exstingui animadvertisit. Valde vero notabilis est varia morbi nostri frequentia in Anglia. Ormerod<sup>1)</sup> in pluribus nosocomiis Londinensibus inter omnes aegrotos propemodum  $11\frac{1}{2}\%$  e rheumatismo articulare acuto laborantes invenit, contra Forbes refert, se Cornuvalae per annos quatuor et dimidium modo quatuor hujus morbi exempla observasse<sup>2)</sup>). Item rheumatismus articulorum acutus in insula Vecti rarus est, ut Hoskins narrat<sup>3)</sup>.

Quod ad morbi nostri frequentiam in Germania et Helvetia attinet, de ea nos Vogel, Lebert et auctores relationum Stutgardiensium atque Bremensium certiores fecerunt. Vogel rheumatismum articularem acutum Gissae paene partem vicesimam omnium morborum adipisci animadvertisit; Turici ille teste Lebert<sup>4)</sup> inter 3—4% variabat; secundum observationes undecim annorum Bremenses 2%<sup>5)</sup> et in nosocomio Catharino Stutgardiensi secundum experientiam viginti quatuor annorum  $1\frac{1}{2}\%$

<sup>1)</sup> Conf. Lond. med. tim. and gaz. 1852. 523.

<sup>2)</sup> Conf. prov. med. transactions IV. 174: ubi auctor ait: „the whole cases, seen by me in four years and a half, were four in number, two in 1817 and two 1821, not one case having been met in the three intermediate year.“

<sup>3)</sup> Vid. Lond. journ. of med. 1852. Aug.

<sup>4)</sup> Vid. ejus Handbuch der praktischen Medicin. II. 853.

<sup>5)</sup> Conf. Barkhausen in Haeser's Archiv. I. 332.

conficiebat. Miram frequentiam ac malignitatem hic morbus, in Turcia auctore Rigler omnino valde pervagatus, imprimis Constantinopoli exhibere fertur. Inter omnes autem terrarum partes India orientalis morbo nostro opportunissima esse videtur, ut e relationibus medicorum hujus terrae militarium maximeque e pathologia Indica a Dr. Webb conscripta cognovimus. Hic quidem in cordis praeparatis, quae in museo collegii medici Calcuttani anatomico-pathologico exstant, describendis ait: „Nor can we wonder at this (de endocarditide et pericarditide loquitur) for what disease in India, is more universally diffused over the country, than that of articular rheumatism, and what sequence more common to it, than endocarditis and pericarditis.“ Similes conditiones videtur Cap offerre, certe Schwarz affirmat, ibi morbum frequentia et tristi exitu, praesertim affectionum cordis complicationibus eminentissimum arthrorrheumatismum acutum esse. Griesinger denique, quum in Aegypto versaretur, perinde hunc morbum crebro observavit.

Anni tempora effectu, quem in morbum nostrum exerceent, non ita multum differunt. Saepissime rheumatismus articulorum acutus tempore verno reperitur, minus frequenter hieme et auctumno, rarissime pro portione tempore aestivo. Judice Wunderlich ortum morbi celeris commutatio tempestatis et inconstantia rerum atmosphaericarum videntur sublevare. Praeterea ex observationibus elucere videtur, rheumarthrosin acutam etiam epidemiam fieri posse. Ita Lebert Turici plerumque quadraginta ex hoc morbo laborantes quotannis curans anno 1857 sexaginta duos tractavit. Itidem

de la Harpe frequentiam morbi nostri Lausannae valde variare tradit. Eo enim teste ibi intra a. 1835—39 quotannis omnino triginta rheumatismo articulorum acuto tentabantur, qui numerus anno 1840 ad sexaginta septem, anno 1841 ad viginti duos, anno 1842 ad quindecim, anno 1843 ad undecim redigebatur, sed anno 1844 ad duodecim et anno 1846 ad viginti unum rursus ascen-debat. Vogel ceterum etiam a Lange, Lancisi, Martens, Stall, epidemias rheumarthrosis acuae descriptas esse dicit.

Omnibus autem ex observationibus morbus noster aetatem infantilem perraro tantum occupare videtur ac prima aetate infantili vix observatus est, ita ut haec illius immunitatem habere videatur. Maximus rheumarthrosium acutarum numerus inde a tempore pubertatis usque ad exitum aetatis virilis, vel in sexu femineo usque ad ineuntes annos climactericos reperitur. Postea hic morbus rursum rarissimus fit et de senectute grandiore propemodum idem valet, quod de prima aetate infantili. Sed illic quoque inter annos singulos magna intercedunt discrimina. Auctore Fuller inter 286 rheumatismo articulorum acuto affectos 241, ergo 91 % erant, quorum aetas inter annos 15—40 variabat. Ju-dice Lebert maximus morbi nostri numerus in annos aetatis 16—25 cadit. Huc de exemplis ducentis qua-tuordecim erant centum duodecim referenda, dum un-decim solum aegroti nondum finem anni quinti decimi adepti erant. Tum pleraeque affectiones, quadraginta tres, ad annos aetatis 26—35 pertinebant. Inter annos aetatis 36—55 numerus patientium fere par erat et

inter annos aetatis 56—70 Lebert tres tantummodo aegros vidit. Dr. Haver (dissert. inaugur. Berol. 1865) nonaginta octo casus memorat, e quibus quadraginta ad annos aetatis 15—20, triginta novem ad annos aetatis 20—30, tredecim ad annos aetatis 30—40, sex ad annos aetatis 40—50 pertinebant. Praeterea unus aeger nondum decem annos et tres nondum quindecim annos nati conspecti sunt. Ergo hic quoque fere dimidium aegrotationum ad annos aetatis 15—20 referendum erat et inter annos 15—30 septuaginta novem de nonaginta octo aegrotabant, ergo paullo plus quam 80 % aetatem annorum 15—30 agebant.

Jam quaerenti cuiquam, utro in sexu rheumatismus articulorum acutus crebrius inveniatur, nobis videtur respondendum esse, eum numero in sexu utroque paene parem existere. Secundum Wunderlich morbus mares paullo frequentius quam feminas invadit, et ex illis ab Haver memoratis nonaginta octo aegrotis quinquaginta erant generis masculi, quadraginta octo generis feminei. Ab omnibus insuper observatoribus morbus noster hereditarius esse traditur; certe hic de dispositione quadam ad hunc morbum agitur. Fuller, ut Vogel refert, inter ducentos quadraginta sex arthrorrhematismo acuto correptos, quos in nosocomio St. Georgis observavit, in 29 % talem dispositionem hereditariam reperit. Praeterea illi, qui hunc morbum semel perpessi sunt, per totam suam vitam proclivitatem ad eum retinent ac plerumque videmus, hujus generis personis impetus frequentes sustinendos esse. Ex illis nonaginta octo aegris, de quibus Haver disseruit, triginta tres jam semel aut

compluries rheumarthrosi acuta conflictati erant, viginti duo quidem semel, octo bis, tres vicibus non explorandis. Teste Lebert haec recidendi facultas etiam iniquior est. Inter centum enim rheumatismo articulorum acuto implicatos quadraginta duos invenit, qui hunc morbum jam exantlaverant. Pars dimidia horum patientium in eundem jam semel inciderant, reliqui saepius et non nulli eorum jam quinques vel septies. Inter sedecim aegros a nobis observatos, de quibus postea fusius disseram, quinque jam semel et unus jam septies arthrorheumatismo vexati erant. Haver, quod valde memorabile videtur, feminam quandam narrat ex anno aetatis decimo usque ad vicesimum fere quotannis morbo nostro tentatam esse. Deinde tres per annos eo vacabat, impetusque tum denuo factus etiam anno aetatis viceximo septimo repetebatur. Lebert quoque casus notavit, in quibus quotannis polyarthritis acuta sibi curanda fuerit.

Neque vero idcirco tantum, quod rheumatismus articularis acutus semel superatus creberrime recidit, haec affectio vehementer metuenda est, sed praecipue ob frequentes vitiorum cordis complicationes, quibus aegrotans per totam suam vitam affligitur et ut Hyrtl ait, postremo per mala diurna et aerumnosa interitus certus adducitur. Bouillaud affirmavit, endocarditidis vel pericarditidis accessum ad graves rheumatismos paene regulam sine exceptione esse. De centum quatuordecim exemplis ab eo tractatis, quorum septuaginta quatuor gravia erant, sexaginta quatuor endocarditide vel pericarditide conjuncta fuisse traduntur. Haec tamen pro-

portio, ut ex omnibus aliis observationibus elucet, sine dubio modum excedit et jam Vogel demonstrare studuit, cur Bouillaud non possit non errasse. Budd se refert in quadraginta tribus casibus vicies semel affectionum cordis complicationes vidisse, sedecies quidem endocarditidis et quinquies pericarditidis complicationes. Eandem proportionem Vogel confirmavit. Fuller solum septies complicationes in triginta novem casibus, contra Ormerod in centum sexaginta uno exemplis sexagies semel pericarditidem invenit. In universum autem endocarditis multo crebrius quam pericarditis morbo nostro adjungi fertur. Bamberger inter omnes pericarditides circiter 30% e rheumatismo articulorum acuto evadere arbitratur. Secundum ejusdem auctoris diligenter compositiones statisticas complicationum rheumarthrosis acutae cum endocarditide numerum circiter 20% prohibere licet. Bamberger etiam hunc morbum causam endocarditidis creiberrimam habet. Eo judice endocarditis et pericarditis sub decursu arthrorheumatismi acuti tanto facilius cooruntur, quanto major est numerus articulorum, qui corripiuntur. Bonillaud in pathologia sua de pericarditide et endocarditide exponens commemorat, inter nonaginta duo exempla a se curata, triginta septem quidem pericarditidis et quinquaginta quinque endocarditidis, triginta unum fuisse, ubi sub decursu rheumatismi articularis acuti pericarditis et endocarditis extiterint, scilicet septemdecies pericarditis et quatuordecies endocarditis. Lebert circa causas morborum, quos tractavit, valvularium comprobavit, affectionum chronicarum valvulae mitralis, sicut valvularum

aortae partem tertiam et affectionum ambarum valvularum adeo partem dimidiā apud aegros inventam esse, qui jam semel vel compluries rheumatismum articulorum acutum perpessi erant. Taylor in quadraginta pericarditidis exemplis vicies semel et Lathram in centum triginta quinque sexagies quinquies rheumarthrosin acutam causam fuisse memorat.

Quae quum ita sint, morbus noster utique vehementer metuendus ejusque prognosis, quod ad restitutionem valetudinis perfectae attinet, perquam anceps est. Huc etiam accedit, quod hic morbus, antequam recedit, diu constare solet. Vel casus leviores spatium unius duarumve hebdomadum explent, affectiones graviores plerumque tres hebdomades et gravissimae saepenumero dies quinquaginta aut sexaginta tenent. E quo longo morbi spatio crebroque complicationum accessu satis patescit, in therapia hujusce morbi medicos adhuc perparum profecisse. Nullum hucusque remedium suppetebat, quo decursus rheumarthrosis acutae praecidi posset. Bouillaud<sup>1)</sup> sanguinem subinde (coup sur coup) detrahendum suasit, sed laudes, quibus hanc curationem celebravit, a Chomel et Legroux immeritae fuisse dicuntur. Deinde natrum nitricum admodum laudatum est, unde ad tincturam vel vinum seminum colchici discessum est. Ab aliis, praesertim ab Anglis succus citrei (ter quotidie  $\frac{3}{3}$ ), ab aliis autem chininum et narcotica praedicata sunt. Aetate recentiori plerique, quando

---

<sup>1)</sup> Conf. Bouillaud: Nouvelles recherches sur le rhumatisme articulaire aigu en général. Par. 1836.

acres sunt dolores, kalium jodatum cum parvis sanguinis depletionibus topicis adhibent.

Quum omnium horum remediorum nullum in morbi spatium et decursum vim quandam eximiam exerceret, Davies rheumatismum nostrum vesicatoriis sanare tentavit, ratus ille quidem, affectionem articulorum materia quadam virulenta in corpore exstante produci, quae aut elementum corporis normale, sed copia abnormi generatum, aut substantia recens formata sit atque qualitate sua acidissima telas synoviales ac fibrosas vehementer stimulet. Ex praesentia urinae semper acidissime reagentis et praeter normam acidi sudoris salivaequa auctor noster ratiocinatus est, hic de praesente quodam acido agi, quo et morbus articulorum provocetur, et diutius in corpore permanente pericardium et endocardium facile afficiantur. Eadem opinio, praesens quoddam acidum causam esse arthrorheumatismi acuti, jam vetustior est et plerique quidem auctores acidum lacticum accusant. Hanc theoriam Fuller in medium protulit. Bouchardat causam rheumatismi articularis acuti per effectum in nervos vicissitudinem materiarum topice mutatam, lactici acidi formationem proferre existimat, quo partes fibrosae et synoviales stimulentur, ita ut hyperaemia et inflammatio forsitan ex hac tantum chemica stimulatione locali consequantur.

Nondum quidem cuiquam contigit, ut acidum lacticum certo reperiret, sed praesentiam acidi lactici cognoscere etiam chemiae organicae res una est omnium difficillima. Ab hac igitur hypothesi proficisciens censisse, ex intensitate inflammationis localis copiam viri

conjectari posse, quod genere quodam affinitatis in partibus affectis colligatur, Davies per vesicatoria materiam morbi iis locis excernere tentavit, ubi ejus praesentia signis externis indicaretur<sup>1)</sup>. Posteaquam vesicatoria satis egerunt magnaqua vesica exstitit, illa removit et nonnunquam in vulnus epidermide ablata cataplasma seminum lini indidit, ut iis effectum etiam ampliorem proferret. Cataplasma per duodecim horas ad vulnera applicabantur. Omnes viginti quinque casus, quos secundum hanc methodum tractavit, Davies affirmat acutissimos fuisse et ubique successum splendidum dici potuisse. Postridie, quam vesicantia remota erant, semper aegroti sese maximopere allevatos sentiebant, quae allevatio etiam permanebat. Proinde Davies prope semper pulsus frequentiam rapide decrescere vidit. Valde notabilis est urinae habitus post usum vesicatoriorum. Nimirum urina, quae adhuc pridie acidissime reagebat et quantitate quam minima reddebat, omnibus in casibus qualitatem suam acidissimam amittebat et plerumque reactione erat alcalina aut neutrali interdumque normalem ostendebat leviter acidam. Recidivae quidem etiam acciderunt, attamen decursus earum multo mitior erat. Sane hi successus et morbi decursus semper solito celerior faustissimi judicandi sunt, sed si reputaveris, in nullo eorum casuum, ubi in aegris recipiendis cor prorsus intactum fuerat, affectionem cordis acces-

---

<sup>1)</sup> Cfr. Blister treatment of rheumatic fever. By Dr. H. Davies. In Clinical lectures and reports by the medical and surgical staff of the London hospital. 1864. Vol. I. p. 294.

sisse, profecto hic tibi videbitur eventus, quem nulla morbi nostri therapia alia unquam attulit.

Itaque Cel. Traube commotus est, ut in clinico suo hac methodo rheumatismum articulorum acutum curaret, simul exploraturus, num illa recta, an falsa esset. Ad articulos maxime affectos vesicantia simul applicabat, quod plerumque vespere ejus diei fiebat, quo patiens receptus erat. Vesicantia usque ad posterum mane locis suis remanebant et tum epidermide ablata cataplasma seminum lini usque ad vesperem ejusdem diei in plana vulnerum indebantur. Deinde plana vulnerum panniculis linteis unguento simplice oblitis ligabantur et articuli erioxylo involvebantur. Plana vulnerum celerrime sanescere solebant. Quodsi postea adhuc articulus affiebatur, aut si recidiva accidebat, denuo vesicans ad membrum affectum applicabatur atque item, ut modo descriptum est, rursus agebatur.

Jam singulos, quos in clinico Cel. Traube observavimus, casus recensebimus eorumque decursus postremo componemus, temporis spatia, temperaturam pulsusque frequentiam accurate notantes.

## I.

Primus patiens erat rhedarius triginta quinque annorum et constitutione sat robusta. Semel jam rheumarthrosi acuta tentatus erat et quum reciperetur, pericardii concretionem cum corde ostendebat. Diem morbi acuti nonum agebat, chirartron tam dextrum quam laevum vehementer dolebat, neque minus sinister humerus, utriusque genu articulus et ambo podarthra.

Decimo morbi die quinque vesicantia applicabantur, quae, quum usque ad vesperem nulla vesica exorta esset, usque ad posterum mane locis suis relinquebantur et epidermide remota loca saucia usque ad vesperem cataplasmatis circumdabantur. Postero mane aeger in nullo articulorum, ad quos vesicatoria applicata erant, dolores percipiebat, sed quum sinister humerus adhuc doloret, ei die morbi quarto decimo vesicans impositum est, quo facto ex die insequente omnes articuli dolore vacabant et mobiles erant. Urina, quae die curationis tertio ad tempus per breve alcalescebat, qualitatem suam acidissimam citissime amittebat; ciborum appetentia die quarto post receptionem revertebatur.

### *Morbi decursus.*

Dies morbi	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
Temper. matut. .	39,5	39,3	38,8	37,9	37,3	37,2	37,1	37,0	37,2	37,2
Temper. vespert. .	40,2	39,2	39,0	38,6	38,0	37,4	37,3	37,2	37,3	37,2
Pulsus matut. . .	92	88	80	76	76	76	72	68	64	68
Pulsus vespert. . .	92	84	84	84	76	72	68	72	72	72
Vesicat. . . . .	.	5	.	.	.	1	.	.	.	.

### II.

Ahrens, cellarius viginti quinque annorum, die morbi septimo receptus est. Ejus cor plane intactum erat. Amborum vero et genuum et pedum articuli, sicut dexter carpus affecti erant. Tria vesicantia adhibebantur posteaque vulnera cataplasmatis circumdabantur. Postridie, quum articuli explorarentur, nec pressi nec moti

dolebant, id quod valde notabile videtur. Nec minus temperatura patientis memorabilis est. Quum die morbi decimo una articulatio laevi digiti indicis intumesceret et die subsequente laeva manus doloreret, ei vesicatorium impositum est. Quo facto dolores valde remittebant et duobus diebus interjectis urticatio dolore plane libera erat. Levis deinde dolor adhuc in ambobus humeris exortus duos modo dies tenebat. Urina qualitatem aciddissimam post duos dies amittiebat.

### *Morbi decursus.*

die morbi	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
oper. matut..	.	38,6	38,1	38,1	38,5	38,2	38,3	38,0	38,0	38,0	38,2	38,2	38,2	37,4
oper. vespert.	39,3	38,5	38,0	38,7	38,5	38,5	38,6	38,3	38,2	38,3	38,3	38,4	38,3	37,5
as matut...	.	92	96	92	92	84	84	76	88	80	82	72	78	82
as vespert..	100	88	92	100	84	80	76	88	76	80	80	76	72	74
sat.....	.	3	.	.	1	.	.	.	.	.	.	.	.	.

### III.

Vahle, sartor, diem morbi quartum agens, nosocomium adiit. Quum reciperetur, insufficientiam valvulae mitralis ostendebat. Quinque articuli, nimirum dexter humerus et amborum tam genuum quam pedum articuli affecti erant. Vespere diei quinti duo vesicantia in ambobus gonyarthris collocata sunt, quibus factum est, ut postridie cunctae articulationes omni dolore vacarent. Quia vero diebus insequentibus ambo humeri atque dexter corpus vehementer indolescebant, vesicatorium die nono applicatum est. Ex die morbi duodecimo, octavo curationis, affectio articulorum penitus

sublata erat. Urina praeter modum acide reagens, hic quoque, antequam normalem reactionem leviter acidam ostendebat, stadium quoddam reactionis alcalinae emensa est. Ceterum modica stranguria exstiterat.

*Morbi decursus.*

Dies morbi	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
Temper. matut..	.	38,8	38,2	38,5	38,5	38,8	38,6	38,2	37,9	37,5	37,6
Temper. vespert.	3,91	39,0	39,3	39,1	39,0	39,3	38,9	38,6	38,1	37,6	37,6
Pulsus matut..	.	100	100	96	88	92	82	74	70	62	62
Pulsus vespert..	100	104	104	102	94	96	84	82	64	60	76
Vesicat. . . . .	.	2	.	.	.	1	.	.	.	.	.

IV.

Ancilla quaedam, viginti octo annos nata, ex decem diebus aegrotans, cor sanum habebat, quum nosocomium peteret. Ambo podarthra amboque gonyarthra laborabant. Temperaturam matutinam  $38,7^{\circ}$  et vespertinam  $40,2^{\circ}$  recepta offerebat. Vespere quatuor vesicatoria applicata sunt. Postero mane, quum temperatura  $39,7^{\circ}$  teneret, affecti articuli non amplius dolebant, sed utraque coxa dolore correpta erat. Postridie ambo carpi indolescebant et quoniam dextri cubiti articulatio laevusque humerus dolentes accedebant atque temperatura non diminuebatur, die morbi septimo decimo adhuc duo vesicantia applicata sunt, quo facto temperatura  $40^{\circ}$  ad  $38,5^{\circ}$  redacta est.

Die uno et vicesimo uterque solum humerus tumebat et dolebat. Propterea die postero duo vesicatoria

$2\frac{1}{2}$ " lata et 6" longa transverse super humeros posita sunt, quo facto vespere ejusdem diei temperatura ad  $37,5^{\circ}$  recidit et postero mane aegrota humeros sine majore quodam dolore movere potuit. Die vicesimo quarto dolores lacerantes in sinistro podarthro percipiebat simulque temperatura exacerbata erat. Insuper nonnulli articuli in decursu ampliore, sed modo ad tempus per breve aegrescebant. Ex die uno et tricesimo temperatura constanter decrescebat atque una etiam intumescientia doloresque articulationum adhuc affectarum. Ex die tricesimo quinto cuncti articuli dolore vacabant.

### *Morbi decursus.*

ages morbi	11	12	13	14	15	16	17	18	20	21	22	23	24	26	28	30	32	35
per. mat.	38,7	39,7	39,3	39,6	39,5	39,2	38,7	37,9	37,9	38,1	37,2	37,7	37,9	38,2	38,3	38,3	38,0	37,4
per. vesp.	40,2	40,7	40,2	39,8	40,1	40,0	38,5	38,2	38,2	38,0	37,5	37,7	38,7	38,2	39,4	39,0	38,4	37,4
vis matut.	108	104	104	116	116	112	108	104	92	96	88	92	92	104	100	86	96	74
vis vesp..	112	116	112	116	116	108	96	104	92	92	84	94	104	80	102	100	82	84
cat. . . .	4	.	.	.	.	.	2	.	.	.	2	.	.	.	.	.	.	

### V.

Basch, pistor, viginti septem annos natus, jam semel rheumarthrosi acuta affectus, e sex diebus rursus aegrotans cor habet prorsus intactum. Utraque coxa excepta articuli omnes laborant. Quum recipereatur, temperaturam ostendit matutinam  $40,1^{\circ}$  et vespertinam  $40,2^{\circ}$ . Urina, cuius intra vicinas quaternas horas excretae quantitas 300 cc. efficit, acidissime reagit. Quinque vesicatoria applicabantur et quidem ad amborum tam pedum quam genuum articulos et ad sinistrum

carpum. Nox deinde male transigebatur, sed successus postero mane per insigne dicendi erant. Temperatura matutina  $38,9^{\circ}$  omnesque articulationes praeter dextrum carpum dolore liberatae et mobiles inveniebantur. In hoc igitur carpo statim vesicans collocatum est. Postri-die tantummodo digiti adhuc dolebant. Mirum quantum temperatura decrescebat, die undecimo illa quidem mane  $37,9^{\circ}$  et vespere  $39^{\circ}$ , die autem duodecimo mane  $37,5^{\circ}$  et vespere  $37,7^{\circ}$ . Die septimo decimo patiens molestas sensationes in ambobus humeris percipiebat, quamobrem ei duo vesicatoria imponebantur et quidem denuo cum proventu laetissimo. Vulneribus, quae hic non nihil sensibilia erant, sanatis aegrotus valetudinem perfectam recuperaverat. Urina ceterum aequa se habebat, atque in casibus superioribus.

### *Morbi decursus.*

Dies morbi	7	8	9	10	11	12	13	14	16	17	18	19
Temper. matut. .	40,1	38,9	38,4	38,9	37,9	37,5	37,3	37,1	37,0	37,0	37,2	37,2
Temper. vespert. .	40,2	39,2	38,8	39,2	39,0	37,7	37,4	37,3	37,0	37,4	37,3	37,4
Pulsus matut. .	108	102	96	92	84	82	84	76	80	80	84	82
Pulsus vespert. .	112	100	90	90	88	88	84	76	84	84	74	88
Vesicat. . . . .	5	1	.	.	.	.	.	.	.	2	.	.

### VI.

Lasse, instrumentorum fabricator, triginta sex annos natus, ex quinque diebus aegrotabat et jam semel ex morbo nostro laboraverat. Nunc ambo humeri, ambae coxae et sinistrum genu affecta sunt. Vespere aeger receptus temperaturam  $39,0^{\circ}$  exhibuit ideoque die post-

ero ad affectos articulos, genu quidem excepto, quatuor vesicantia applicata sunt, quibus temperatura vespertina  $\frac{4}{10}^{\circ}$  deminuta est. Vesicatoria usque ad posterum mane locis suis relinquebantur iisque ablatis cataplasmata in vulnera indebantur. Temperatura vespertina  $\frac{3}{10}^{\circ}$  inferior erat. Articulationes subinde satis liberae sunt, attamen patiens in locis sauciis dolorem sentit vehementem. Die undecimo cuncti articuli dolore vacant, nisi quod coxae intumescentia glandularum inguinalium molestantur. Die tertio decimo locus insertionis musculi deltoidei nonnihil indolescebat, quam ob causam in eo emplastrum magnitudine nummi duorum thalerorum collocabatur, quo facto sanitas perfecta restituta est.

Urina hoc in casu qualitatem suam acidissimam die quarto amiserat et die sexto neutralis erat.

Alimentorum desiderium die nono revertebatur. Cor denique intactum manebat.

### *Morbi decursus.*

Dies morbi	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
Temper. matut..	.	38,4	38,0	37,8	37,6	37,2	37,0	37,1	37,0	37,0
Temper. vespert.	39,0	38,6	38,3	38,2	38,0	37,6	37,9	37,0	37,0	37,0
Pulsus matut..	.	90	92	80	78	88	76	72	76	70
Pulsus vespert..	88	72	76	88	98	92	72	76	72	76
Vesicat.....	.	4	.	.	.	.	.	1	.	.

### VII.

Michaelis, coqua, constitutione robustissima, ex sex diebus rheumatismo articulari acuto conflictabatur.

Ambo et gonyarthra et podarthra affecta sunt. Tribus vesicatoriis adhibitis articuli postridie multo minus quam antea dolebant. Nono tamen morbi die dolorum exacerbatio exstitit, quae auctione temperaturae et recentibus articulorum affectionibus manifestabatur; caput tali et sinister humerus indolescebat. Idecirco ad hunc humerum vesicans applicabatur, quo articulatio a dolore prorsus liberata est. Talo autem adhuc dolenti vesicatorium die undecimo imponebatur, quod tam manifesto efficax erat, ut eo remoto omnis dolor cessaret omnesque motus liberi essent. Urna jam quarto curationis die qualitatem suam acidissimam non amplius ostendebat et affectiones articulares die sexto evanuerant.

### *Morbi decursus.*

Dies morbi	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
Temper. matut. .	.	38,1	38,1	38,8	38,8	38,2	38,1	37,8	37,8	37,5	37,8	37,7	37,7 3
Temper. vespert. .	39,4	38,8	38,5	39,2	39,8	38,5	38,8	38,4	38,0	38,1	37,7	38,0	37,8 3
Pulsus matut... .	.	84	70	80	78	84	68	72	92	80	82	62	54
Pulsus vespert.. .	76	64	72	80	88	68	68	92	96	78	68	62	56
Vesicat. . . . .	.	3	.	1	.	1	.	.	.	.	.	.	.

### VIII.

Sellge, cigarrorum fabricator, constitutione infirmiore, ex decem diebus arthrorheumatismo acuto implicatus est. Cor habet integerrimum, sed omnes articuli affecti sunt. Temperatura vespertina  $39,5^{\circ}$  et matutina  $39,1^{\circ}$  exhibet. Undecimo morbi die quatuor vesicantia adhibebantur, quae postero mane removebantur, quo facto

loca saucia totum per diem cataplasmatis circumdabantur. Effectus hic erat, ut postridie omnes articulationes dolore liberatae mobilesque essent, excepto quidem podarthro sinistro, quod etiam adhuc tumebat. Temperatura vespertina cum diei antegressi collata  $\frac{4}{10}^{\circ}$  inferior est. Urina post eminentissimam reactionem acidam rursus normaliter reagit. Die tertio decimo cuncti articuli dolore prorsus vacant et immunes permanent, ita ut jam cura bidua sanitas perfecta restituta sit. Temperatura paullatim deminuitur corque manet intactum.

### *Morbi decursus.*

Dies morbi	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Temper. matut. .	. 39,1	38,6	38,7	38,6	38,0	37,8	37,4	37,1	37,1	
Temper. vespert. .	39,5 39,6	39,2	39,1	38,8	38,2	38,0	37,6	37,5	.	
Pulsus matut. . .	. 84	82	84	84	80	76	72	70	64	
Pulsus vespert. . .	96 84	80	80	84	90	76	70	76	.	
Vesicat. . . . .	. 4	.	.	.	.	.	.	.	.	

### IX.

Heyde, mercator quadraginta annorum, tertium morbi diem agebat, quum nosocomium adiret. Amborum et pedum et genuum articulationes laborabant, quo postridie affectio dextri humeri accessit. Omnibus articulis affectis vesicatoria imponebantur, quibus ablatis in illos cataplasma indebantur. Ita cuncti articuli dolore liberabantur, nisi quod dexter humerus, quum moveretur et premeretur, adhuc indolescebat. Die septimo aegrotus adhuc in sinistro humero dolorem percipiebat, quare

die decimo vesicans applicabatur, quo id effectum est, ut postero mane omnes articulationes dolore plane liberatae mobilesque essent. Dexter solum corpus adhuc nonnihil tumebat. Mira erat vis therapeutica, quae in temperaturam die decimo et undecimo exercebatur.

Hic status laetus usque ad diem quintum decimum tenuit, quo pleuritis sinistra ex causa quadam ignota accessit, cui die undevicesimo dolores dextrae manus supervenerunt. Itidem denuo ambo podarthra amboque gonyarthra, sicut laeva coxa affecta sunt, sed in unum tantummodo diem. Ex die undetricesimo omnes articuli persanati erant et aegri valetudo celeriter melior reddebatur.

### *Morbi decursus.*

Dies morbi	4	5	6	7	8	9	10	11	14	15	16	18	20	22	24	26
Temper. mat.	.	39,0	38,4	38,9	38,6	38,1	37,9	37,3	37,1	37,4	37,4	38,1	38,1	38,4	38,0	37,4
Temper. vesp.	39,2	39,2	38,5	38,8	38,7	38,8	38,6	37,4	38,0	38,9	38,3	39,2	38,8	39,0	38,8	38,8
Pulsus matut.	.	104	90	96	90	90	72	76	80	80	84	98	92	88	80	68
Pulsus vesp. .	106	104	96	94	94	88	84	70	76	92	92	98	90	80	80	64
Vesicat. . . .	.	5	.	.	.	.	.	1	.	.	Pleu- ritis sinistr.	1	.	.	.	.
											ad pectus					

### X.

Einicke, sutor, constitutione infirmiore, insufficientia valvularum aortae laborans, jam semel rheumatismum articulorum acutum exantlavit et ex quinque diebus eodem iterum tentatus est. Die septimo, quo articuli utriusque et pedis et genu coxaeque, sicut sinister carpus affecti sunt, quinque vesicantia adhibebantur, quae id efficiebant, ut jam postero mane motionibus passivis

non amplius dolores excitarentur et temperatura  $40,2^{\circ}$  ad  $39,4^{\circ}$  redigeretur.

Die decimo, quum temperatura matutina  $38,4^{\circ}$  es-  
set, omnes articuli refecti sunt, si a levi sensibilitate  
dextrae manus discesseris; temperatura vero rapide de-  
crescente cunctae articulationes die duodecimo doloris  
expertes sunt. Ciborum appetentia jam die decimo  
restituta erat atque urinae qualitas acidissima postridie  
evanuerat, quum vesicatoria applicata erant. Ceterum  
temperatura differentia hoc in casu eminentissima erat.

### *Morbi decursus.*

Dies morbi	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
Temper. matut..	.	40,1	40,2	39,4	38,9	38,4	37,6	37,7	37,6	37,4
Temper. vespert.	40,4	40,4	40,3	39,8	39,0	38,6	37,7	37,6	37,7	37,5
Pulsus matut. .	.	106	96	104	92	92	76	76	76	76
Pulsus vespert..	116	102	110	108	92	90	68	60	76	72
Vesicat. . . . .	.	.	5	.	.	.	.	.	.	.

### XI.

Wincker, operarius quadraginta trium annorum, no-  
bis exemplum rheumarthrosis acutae admodum notabile  
obtulit, quoniam ea jam septies correptus erat. Cor  
patientis, quum quarto morbi die reciperetur, integrum  
erat, sed articuli utriusque et pedis et genu coxaeque,  
neque minus sinister humerus laborabant. Die quinto,  
quo temperatura matutina  $38,7^{\circ}$  et vespertina  $39,6^{\circ}$   
erat, quinque vesicatoria adhibebantur, quibus tempe-  
ratura quidem parum diminuebatur, sed exempta coxa  
sinistra omnium articulationum dolores tollebantur. Ita-

que unum adhuc vesicans applicabatur, unde factum est, ut postero mane cuncti articuli ab omni dolore et intumescentia liberi essent. Sed quum diei noni tempore pomeridiano dexter carpus subito intumuisset, huic quoque vesicans imponebatur, sicut duobus diebus post dextro humero. Ex die tertio decimo omnes articulationes doloris expertes mobilesque erant et manebant. Post usum primorum vesicatoriorum urina qualitatem suam acidissimam deposuerat et ad tempus neutralis facta postremo leviter acida exstitit. Alimentorum desiderium die nono rediit.

### *Morbi decursus.*

Dies morbi	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
Temper. matut. .	.	38,7	38,5	38,5	38,4	37,8	38,1	37,9	38,0	37,6	37,4	37,7	37,5
Temper. vespert. .	39,0	39,6	39,1	38,8	38,7	38,3	38,6	38,4	37,8	37,6	37,7	37,6	37,6
Pulsus mutat. .	.	90	98	84	78	70	80	84	64	64	64	64	60
Pulsus vespert. .	90	96	94	86	80	76	84	68	60	60	62	62	60
Vesicat. . . . .	.	5	1	.	.	1	.	1	.	.	.	.	.

### XII.

Penser, laniarius, constitutione robustissima, ex quatuor diebus aegrotabat. Die septimo, quo temperatura matutina  $39,8^{\circ}$  et vespertina  $40,2^{\circ}$  erat, amborum pedum genuumque articuli et utraque coxa dexterque humerus laborabant. Propterea quatuor vesicantia impendebantur et die postero vulnera cataplasmatis tractabantur. Temperatura deinde remittebat et quod ad articulationes pertinet, ambae coxae dolore vacabant et reliqui articuli minus dolebant, sed digitus minimus manus dextrae sensibilis erat. Urina qualitate acidis-

sima deposita adeo alcalica fiebat. Aeger de modica stranguria querebatur. Ex die autem nono omnes articuli, si digitum minimum manus dextrae exceperis, a dolore liberi erant. Die tamen undecimo manus dextra etiam intumuerat, quamobrem ad eam vesicatorium applicabatur. Tribus diebus post cunctae articulationes persanatae erant.

ies morbi	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
per. matut..	39,0	39,4	39,8	39,0	39,0	38,2	38,4	37,4	38,0	37,6	37,0	36,8	37,9	36,8
per. vespert.	40,0	40,2	40,2	39,8	39,6	39,0	38,6	37,8	37,0	37,8	37,9	37,2	37,0	37,0
is matut...	96	88	100	88	88	76	72	64	68	76	60	58	60	60
is vespert..	92	92	112	96	80	76	76	72	72	64	64	64	68	68
eat. . . . .	.	.	4	.	.	.	1	.	.	.	.	.	.	.

Praeter haec duodecim exempla arthrorrhematismi acuti etiam quatuor alia secundum methodum Davie-sianam tractata sunt. Inter quos aegrotos unus erat potator gradus supremi, ita ut deliriis acerrimis tenta-retur. Vesicatoriis adhibitis affectiones articulares emen-dari videbantur, sed hac de re certi quid explorare difficile erat. Ob vehementiam suam potius delirium tremens oppugnabatur, quapropter huic exemplo nullum equidem tribuerim momentum statisticum.

In duabus autem casibus aliis vesicantia ad affectio-nes articulorum profligandas permultum valebant. Alter patiens (Krause, hortulanus), die morbi secundo recep-tus, ambobus podarthris, utraque coxa, sinistro humero sinistrique genu et cubiti articulis laborabat, quare quin-que vesicatoria applicabantur. Articulationes jam die

curae secundo plane refectae erant, sed loca saucia pessime sanescebant, quia valde suppurrabant, quo convalescentia aegroti multum retardabatur. Apud alterum aegrum affectiones articulorum post novem demum curationis dies prorsus disparebant, quia semper articulationes aliae ex aliis morbo corripiebantur. Praeterea hic quoque vulnera perperam sanescebant, quae complicatio cum modo memorata contemporanea erat.

In quarto denique casu vesicantia ad ipsas affectiones articulares permultum valebant, attamen morbus propterea non praecidebatur, quod semper articuli alii ex aliis aegrescebant. Quodsi summam omnium harum observationum computamus, nobis infitiari non licet, laudes illas, quibus Davies suam methodum therapeuticae extulerit, confirmatas esse.

In omnibus enim casibus, praeterquam in iis, ubi complicationes accedebant, decursus morbi multum praecisus est, quod duobus (IV et IX) exceptis in cunctis a nobis accuratius descriptis, ergo in decem de duodecim evenit. Per se huc etiam exemplum nonum referri potest, namque patiens jam die septimo ab omni articulorum affectione omni febri liberatus erat, sed pleuritide sinistra superveniente sane denuo affectionibus articularibus implicatus est. Neque hoc loco silentio praeteream, aegrotum prope fenestram cubisse. Etiam morbus hortulani Krause huc perinde referri possit, etenim apud eum jam unum post diem articulationes persanatae erant, sed vulnerum suppuratione convalescentia aegri valde retardata est. De sedecim igitur exemplis proprie duodecim valde praecisa sunt.

Nunc nobis quaerendum, quaenam sit hujus therapia Daviesianae vis manifestissima. Pertinet ea ad ipsam articulorum affectionem. Scilicet jam postridie, quam vesicantia in usum vocata erant, affectiones articulares ex parte longe majore disparuerant.

Complures aegri jam hoc die articulos suos pridie immobiles propemodum tam expedite movere poterant, quam in statu normali. Diebus deinde sequentibus omnia morbi symptomata decrescebant fere constanter, nam nonnunquam unus pluresve articuli adhuc affiebantur, sed hae quoque affectiones celerrime evanescebant, tum sua sponte, tum post usum vesicatoriorum. Haec, ut id subinde animadvertamus, nobis ubique, ubi nova exoritur gravis articulorum affectio, illico adhibenda esse videntur.

Deinde hujus therapia effectus ad temperaturam, qua quidem gradus febris indicatur, perquam notabilis est. Reperimus enim, hacce curatione causam, quae febrim commovet, deminui. Septem in casibus temperatura post applicationem vesicatoriorum constanter ad normam rediit summumque auctio levissima et citissime rursus disparens exstitit. Sunt illi casus I, V, VI, VIII, X, XI, XII. In reliquis, ubi vesicantia ad celerem morbi decursum non parum valebant, temperatura tam matutina quam vespertina post usum vesicantium inferior quam pridie erat. Haec exempla antea non commemoravi, quia in iis plerumque per novas articulorum affectiones saepius febris exacerbata est, quae quidem exacerbationes non diutinae erant. Ceteroqui decursus horum morborum celer erat.

Quod vero vesicatoriis adhibitis postridie omnibus in casibus temperatura et matutina et vespertina inferior quam pridie erat, id nobis eo majoris momenti esse videtur, si reputamus, illud factum esse, licet frequenter planities sauciae, e quibus seri sanguinis transsudatio cataplasmatis sustentabatur, magnae ac dolores, qui oriebantur, vehementes fuerint. Qua temperaturae remissione in modum certissimum comprobatur, therapiam Daviesianam in febris causam removendam agere. Tum etiam illud est memorabile, quod vesicantibus impensis urinae reactio acidissima celerrime tollebatur; immo multis in casibus urina, anteaquam normalem suam reactionem leviter acidam recipiebat, ad tempus per breve reactionem alcalinam ostendebat. Qua re sententia Davies admodum confirmatur, sero ex planicie saucia excedente materiam morbi excerni eamque esse substantiam qualitatis acidissimae.

Davies autem ex usu vesicatoriorum semel modo stranguriam consequi vidit, nos contra in exemplis a nobis observatis idem novies conspeximus, sed stranguria nunquam erat diutina, nec solum citissime, verum etiam feliciter decurrebat, quin quidquam damni relinqueret. Porro etiam appetitus nutrimentorum plerumque jam breve post tempus revertebatur, neque minus somnus plurimum nocte applicationi vesicantium succedente consequebatur. Ceterum valetudo communis quam celeriter commutaretur, quasi in oculos incurrebat.

Ut supra jam memoravimus, inter sedecim nostra exempla unum erat, ubi effectus therapeuticus non poterat certo explorari; in duobus quidem vis methodi

Daviesianae in decursum affectionum articularium exhibita patebat, neque tamen morbi praecidebantur; in quarto loca saucia suppurabant, quapropter successus non plane liquebat.

Quod ad duodecim exempla reliqua spectat, hac cura affectiones articulorum valde praecisas esse constat. His duodecim exemplis casus IX adnumeratus est, sicut alter eorum, ubi suppuratio vulnerum exstitit, quoniam ibi effectus in articulos manifestissimus erat.

Si medium temporis spatium harum duodecim affectionum articularium ex die post usum vesicatoriorum computamus, dies  $3\frac{1}{2}$ , accipimus. Tenebat enim affectio I dies quatuor, II octo, III sex, V tres, VI tres, VII quatuor, VIII unum, IX sex, X quatuor, XI unum, XII sex ibique, ubi suppuratio vulnerum exstitit, unum. Quum casum ultimum et IX omittimus, medium temporis spatium dies quatuor explet. Si denique idem spatium ex initio omnium duodecim affectionum articularium computamus, dies  $5\frac{1}{2}$ , accipimus.

Postremo nobis adhuc mentione dignum videtur, cum casu nullo cordis affectiones complicatas esse. Ubicunque symptomata ineuntis pericarditidis vel endocarditidis comparent, confestim vesicans regioni cordis imponere commodum videtur. Uno in casu, ubi nobis suspicio nascentis endocarditidis movebatur, protinus vesicatorium ad regionem cordis cum hoc successu applicatum est, ut omnia symptomata subinde evanescent.

Quae quum ita sint, summo jure nobis statuendum videtur, nulli therapiae rheumarthrosis acutae successus

tam prosperos suppeteret quam methodo Daviesianae eamque maximi aestimandam esse, namque nulla curatio alia est, qua affectiones articulorum tam cito removeantur; nulla, quae totum processum affectionum articularium ex parte longe majore tam certo praecidat; nulla denique, quae circa cordis complicationes aequa prospera sit.

---

## V I T A.

---

Natus sum ego Maximilianus Hugo Eduardus Meyerhoff Berolini die XI mensis Julii anni MDCCCXLIII patre Eduardo, matre Aemilia e gente Heyse, qui parentes quod adhuc vivunt, valde gaudeo et Deum Optimum Maximum ex animo intimo precor, ut eos quam diutissime mihi servet incolumes. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Friderico-Werderanum, quod tum Cel. Bonnell directore florebat et etiam nunc floret, adii ibique septem per annos et dimidium versatus sum. Testimonium maturitatis academicae auctumno anni MDCCCLXII consecutus inter cives universitatis litterariae Berolinensis ab Ill. Magnus, rectore magnifico, receptus atque ab Ill. Reichert, gratiosi medicorum ordinis decano maxime spectabili, numero studiosorum medicinae adscriptus sum. Uno semestri transacto Heripolin me contuli, ubi ab Ill. Wegele, rectoris universitatis litterariae magnifico, civis academicus factus sum. Inde post semestre aestivum Berolinum reversus Ill. Beseler fasces academicos tenente ab Ill. Mitscherlich, gratiosi medicorum ordinis decano spectatissimo, in album medicum relatus sum.

Per octo semestria disserentes audivi hos viros Ill. Cel. Exp.: *Berolini* Magnus de physice; Reichert de anatomia, de histologia, de anatomia cerebri, de anatomia comparata, de histo-

ria evolutionis; Lieberkuehn de osteologia et syndesmologia; Peters de zoologia; Wagner de situ viscerum; Beat. Mitscherlich de chemia anorganica; du Bois-Reymond de physiologia; Gurlt de chirurgia; C. G. Mitscherlich de materia medica et de remediis excitantibus; Virchow de pathologia et anatomia pathologica; Gusserow de arte obstetricia; Hahnstein de botanice.

*Herbipoli:* Koellicker de physiologia; Scherer de chemia organica.

In arte cadavera secandi mihi duces fuerunt Ill. Reichert et Cel. Lieberkuehn. Experimenta chemica factitanda me docuit Ill. Scherer, microscopii usum Ill. Reichert et Exp. Cohnheim, auscultationem et percussionem Exp. Mannkopf, operationes chirurgicas Cel. Gurlt, operationes obstetricias Ill. Martin.

Scholis clinicis interfui Cel. Traube, Ill. Juengken, Ill. de Langenbeck, Ill. Griesinger, Ill. Martin.

Quibus viris omnibus de me egregie meritis gratias ago semperque habebo quam maximas.

Tentaminibus denique et physico et medico nec non examine rigoroso superatis thesibusque d. VII m. Junii a. pr. palam defensis, propter bellica tempora ex jussu Ministerii regii jam summi in medicina et chirurgia honores in me collati sunt, ea quidem conditione, ut postea dissertationem ederem, cui promisso nunc grato animo satisfeci.



